

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

C A R M I N A
IN HONOREM NVPTIARVM.

16
15
R E V E R E N D I E T
DOCTI VIRI DN: IOHANNIS
MENCII, DOCENTIS EVANGE-
lium Christi in Ecclesia
Eckmansdorfiana,

E T

H O N E S T I S S I M Æ A C P V,
D I C I S S : V I R G I N I S M A R I Æ , I N T E
G E R R I M I A C P R V D E N T I S S : V I R I
Dn: Ambrosij Bernutij Senatoris Vui-
tebergensis, filiae sponsæ,

S C R I P T A

A B A M I C I S
D I E A N D R E Æ A P O S T O L I
qua nuptiæ celebrantur.



Vuitebergæ excudebat Antonius Schön,

A N N O M . D . L X X I X .

PELICANVS.



Non pullis mihi vita meis est charior, illi
Ut uiuant fodio pectus & intereo.
Sit tibi in exemplo pietas mea & insitus ardor
Proq̄ tuis vitam fundere disce tuam.

Georgius Tilenus Aur.

AD NOVOS SPONSOS
VOTVM NVPTIALE

M. MARTINI HENRICI SAGANEN-
sis Professoris Vuitebergæ.



Iuina res connubium,
Deo placens, ordo Dei
Sancitus Eden saltibus,
Humana dum gens integra,
Nam Castitatem diligens
Mens casta primis mentibus
Inseuit humanis Deus
Casti pudoris semina.
Et sanxit autor legibus,
Mas vnus vt cum fæmina
Certo coirent foedere
Iuncti per omne seculum.
In carne sint vna duo
Firmis ligati nexibus,
Sic lege certa & ordine
Seruatur humanum genus,
Sic procreando liberos
Vt lampadem vitam suam
Tradunt parentes posteris,
Pro seque cultores Dei.

A ij

Hinc

Hinc voce verbi colligit

CHRISTVS sacratam Ecclesiam

Quæ noscat, inuocet Deum

Omni celebret seculo.

Vobis amici coniuges

Thorum beatum comprecor

Suauem, fidelem, amabilem

Bonis refertum liberis.

Quem casta foecundet Venus,

Blandæ secudent gratiæ,

Felix beet Concordia

Deique ornet Benedictio.

DN. JOHANNI MENCIO

ET, MARIAE BERNVTIÆ NV.

prias dignitatis & concordiae plenas

precatur.

PETRVS ALBINVS PROFE S.

for Academia Vuitebergensis publ:

FELIX, coniugium cui tolerabile

Concessit bonitas propitiij Dei,

Si non coniugium contigit optimum.

Sanè coniugium cui tolerabile est,

Quod non probra agitant, non fera iurgia,

Felix

Felix ille sat est : conscia cœlitum
Nam consortij imago extat amantibus,
Et rerum omnium habet credula copiam.
Multò vt maxima res est torus optimus,
Cui non vlla hominum prosperitas deest,
Quàm sensus animi spe capiunt bona,
Et fors ferre potest læta petentibus.
Saltem cui bona pax, perpes amor, fides
Sunt concessa Dei munere ; quæ timor
Cœli, quæ pietas alma regat : Licet
Auri copia non affluat, aut potens
Sceptrum nobilitet cum illice gloria.
Certè principium est alterius pñs.
Vitæ talis Hymæn, non loquor in scius.
Contrà credibile est, fors quod acerbior
Læui coniugij, præcipuè graues
Rixæ, & dirum odium, ruptaq; foedera,
Et periurus amor sit grauius malum,
Quàm sunt cunctæ hominum sollicitudines,
Quodque, æterna velut perditio, premat,
Sitq; instar stygij sulphuris & picis;
A quo Christe pios optime protegas
Et pacis thalamos muneribus bees.
Porro coniugium sic tibi prosperum,
Quo concordia sit pax amor & fides,
MENCI IANE tua cum MARIA precor,
A 3 Nil

Nil optare potest Musa tibi prius,
Nil præstare queunt fata tibi prius,
Præstabuntque petenti dubio procul,
Sed vestri officij est illa capeffere,
Virtutiq; decet pectora pandere,
De quo non dubitant ingenui ac boni.
Estis namq; probis ambo parentibus
Tu cum Bernutia progeniti tua;
Quorum conspicua est integritas, fides,
Virtus, relligio. Nam tuus ille auus
Rexit Saxonicae mœnia Sidonis:
Christi pavit ouile emeritus parens,
In cuius posuit te DOMINVS locum.
Fraterque Aonij artibus eminet,
Hac non Sponfa minus laude valet tua,
Quæ prognata patre est ingenuo viro,
Cuius consilijs vtitur oppidum:
Et matris specimen moribus est bonis.
Nunc vestris placidi viuite seculis,
Vestrorum placidi more parentium,
Et non vlla odij, nullaque iurgij
Sentite in socio foedere spicula.
Non tantum thalamus sit tolerabilis
Vester, sed stabili pace sit optimus.
Et sat fausti eritis, vestraque pignora,
Quæ vobis tribuet propitius Deus.

AD

AD IOHANNEM MINCIUM

Germanum fratrem & Sponsum.

DVM patris in statione vices & sacra capessis
Et noua coniugij vincula, IANe, subis.
Lætitiâ capio, frater, munusque thorumque
Lustrari vero Numinis ore precor.
Ipse parens, seniũ quem cassum viribus vrget,
Cui dudum Parcæ busta necemque parant,
Ipse parens toto lætatur corde, quod ista
Ante suos cineres orta sit axe dies:
Et te prosequitur votis atque omine sancto:
Ante Deum pondus vota parentis habent.
Fac ergo ne spes fallas, & vota parentis,
Siue regas Christi templa, thorumue domi.
Sistitur in mensa PELEcani argentea forma
Quam decorat varijs tibia læta modis.
Spectaclum sponsæ, sponsæ sacer ales honoris
Ritus hic à priscis traditus extat auis.
Nos ad te veterem morem spectare putamus:
Quippe, quod ardenti mente sequaris, habet.
Nam volucris velut illa sua pro prole cruorem
Elicit ex fibris, viuat vt illa, suis:
Sic tu pro Christi coetu, nuptaque domoque
Officio nulli parcere, IANe, velis.
Si tibi durus erit mundus, si nulla rependet,
Præmia: te merces æthere digna manet.

AD MARIAM VRSINAM

Sponsam lectissimam.

DVlce genus vitæ, thalamus, blandūq̄ fuisse,
Stipite ni vetito poma resecta forent.
Sanctus amor, perfectus amor, fors orba procel-
Duxissent stabili secula cana fide. (lis
Non vllos lethum mouisset flebile questus,
Non fuerant vllis gaudia mista malis.
Fallacis quoniam serpentis in arbore suasu
Vna manus pessum nūc dedit omne bonū:
Non perfectus amor, non fors est orba procellis
Et fera concordēs mors ruit in thalamos.
Ergo thorus, vitæ genus omni clade refertū est,
Ingrataq̄ue scatet fellis amaricie.
Sed bene habet: Christi dulcis cruor omnia a-
Mitigat, & suavi grata sapore facit. (mara
Hæc te Sponsa leuet spes, cui dat nomen ama-
Tristius & mœstā forsan in omen agit (ror,
Si quid erit (nihil vt sincerum prorsus) acerbi,
In dulces Christus mutet id omne fauos.
Vester amor constans sit, fors sit cassa procellis,
Seraq̄ fœcundum mors violet thalamum.

M. BALTHASAR MEN-
cius Nimecensis.

H Y M N V S.

MVndi creator optimus

Qui casta lecti vincula

Sanxit, suoq̄ coniuges

Castos tuetur numine.

Dextro secundet omine

Tuas, IOHANNES optime,

Tœdas, thoriq̄ patrio

Seruet fauore comparem .

Vt prole multa te patrem

Beet, pio quæ pectore

Laudes beati Numinis

Seclis propaget posteris.

Sint mille vobis gratiæ,

Absint amaritudines:

Sit pax, salus, sint gaudia

Opumq̄ diues copia.

Thoro, Iohannes, hæc tuo

Votis precatur candidis

Camœna, quæ sint vt rata,

Faxit DEVS ter maximus,

Mundi sator ter optimus,

Qui casta lecti vincula

Sanxit, suoq̄ coniuges

Castos tuetur numine.

VV. Actius Iutrebocensis F.

EPITHALAMION.

NVnc age nunc toties votis optate, iugales
Sume hymenæe faces; tuq̄ elige Gratia flores,
Purpureos flores, quos Dædala terra ministrat,
Non tamen indignos hymenæo misce hyacinthos,
Quâq̄ gradū Sponsus, quâ fert noua nupta, corymbos
Spargere solo, & virides myrtos superingere, amaror
A M A R I A E tædis ablit, Liuorq̄ secundis
Anxius, in I A N I thalamis, cui M I N C I V S amnis
Dulce dedit nomen, nodis constrictus ahenis
In cassum doleat, gemat, extabescat, iniquo
Coniugij aspectu, carpat, carpatur & ipse.

Iam Leuce Albiacas inter pulcherrima nymphas
Non ignara doli, sæuiq̄ue Cupidinis astus,
Floriferum egelida Zephyrum sub valle sedentem
Quam venti pulsare timent, quam tangere nimbi,
Nec scintillantes audent vestire pruinæ,
Tabifica nec, lege anni, face Sirius vrit.
Talibus affatur: Nunc ô mitissime fratrum
Quoscunq̄ue imperio premit Aeolus, annue votis,
Si te si qua mouet castæ reuerentia tædæ,
Aspice Menciaden, quem aris sacrifq̄ue vacantem
Ales amor tandem iuga sub Cythereia adegit,
Expertemq̄ viri MARIAM, quam nunc quoq̄ cogis
Ferre virum, imperiose puer, bonus aspice, & aura,
Quâ

Quà licet, ô flatuq; faue, nunc omnia fronde
Pubescant virgulta noua, nunc gramine fætus
Turgeat omnis ager, quicquid Panchaia diues
Thuris habet, quicquid téllus Hyblæa ministrat
Vbertim hæc fundat, cornu ceu diuite, terra,
Natura insolitum rerum admirante tenorem.
Imo, ait hic, ipsum hoc (minimè quod rere) parabã,
Iamq; alas sacro stillantes rore, lacertis
Aptabam, amissum decus vt vernumq; calorem
Afflarem terræ venis; iamq; ipsa feroci
Diua Paphi cum prole venit, lectiq; iugalis
Gaudia sub tacito metitur corde, rubentes
Molli nixa genu diuino pollice flores
Cum nato carpens: certè Dea, cerno decoras
Errantes ceruice comas, non colla pruinae,
Frontem ebur, aut parium marmor, si purpura velet
Aequent, quantus honos oculis? quantusq; genarũ
Sanguineo mixtus candor fulgore renidet?
Digna Dea facies. Sic fatus deinde nitentes
Concutiens pennas beneolentem spargit amomum,
Obstantesq; cito decurrit tramite nubes,
Non secus ac soboles Thaumantia, Solis ab ictu
Versicolore poli per nubila deuolat arcu,
Et picturato ob nubit velamine olympum.
Cana gelu tellus viridem sortita colorem
Fundit odoratas herbas: iam sylua virescens

Ingra-

Ingrato brumæ sibi fidere vendicat æstum,
Ipse etiam Boreas Phæbo immittente calorem
Cedere non dubitat fati; stupet inscius Auster
Imperijs reddi Zephyrum, ferriq̃ue per auras,
Mira tamen fibris inolescere gaudia sentit

Cessat hyems: hymenæus adest, tibi, Gratia, sp̃o
Ante fores thalami flores substernit, & arcto (se
Pectora constringit nexu; tibi balsama sponsa
Balsama Niliaco rorantia cortice Cypris
Prodiga diffundit; viden' vt leuis aura resultet?
Vestraq̃ prosequitur blandis connubia votis

Daniel Tilenus Aurimont:
Silesius F₃₀, Nouemb.

ANNO M. D. LXXIX.

W 1996

8


ULB Halle 3
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
 nicht zu ermitteln!
 28 a / 50 1996 /

W 17 M





16
15

C A R M I N A
IN HONOREM NVPTIARVM.
R E V E R E N D I E T
D O C T I V I R I D N : I O H A N N I S
M E N C I I , D O C E N T I S E V A N G E
l i u m C h r i s t i i n E c c l e s i a
E c k m a n s d o r f i a n a ,

E T
H O N E S T I S S I M Æ A C P V
D I C I S S : V I R G I N I S M A R I Æ , I N T E
G E R R I M I A C P R V D E N T I S S : V I R I
D n . A m b r o s i j B e r n u t i j S e n a t o r i s V u i
t e b e r g e n s i s , f i l i æ s p o n s æ ,

S C R I P T A
A B A M I C I S
D I E A N D R E Æ A P O S T O L I
q u a n u p t i æ c e l e b r a n t u r .



V u i t e b e r g æ e x c u d e b a t A n t o n i u s S c h ö n .
A N N O M . D . L X X I X .